



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Honorii || Avgvstodvnen-||sis Ecclesiae Presbyteri De ||  
Praedestinatione Et Libero Ar-||bitrio Dialogus, nunquàm  
antehac || typis expressus**

**Honorius <Augustodunensis>**

**Köln, 1552**

**VD16 H 4771**

Prosperi Epistola Ad Avgvstinvm De Reliquijs Pelagianae haereseos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29827**

PROSPERI EPISTOLA  
AD AVGVSTINVM DE RE-  
liquijs Pelagianæ hæreseos.



Omino beatissimo Papæ, ineffabiliter mirabili, incōparabiliter honorando, præstârissimo patrono, Augustino Prosper. Ignotus quidē tibi facie, sed iam aliquatenus si reminiscaris, animo ac sermone cōpertus. Nam per sanctum fratrem meū Leontium diaconum misi epistolas, & recepi: nunc quoq; beatitudini tuæ scribere audeo, nō solum salutationis vt tunc studio, sed etiam fidei, qua Ecclesia viuit, affectu. Excubante enim pro vniuersis membris corporis Christi vigilantissima industria tua, & aduersus hæreticarum doctrinarum insidias veritatis virtute pugnante, nullo modo mihi verendum putauī, ne onerosus tibi, aut importunus essem in eo, quod ad multorum salutem, ac perinde ad pietatem tuam pertinet, cum potius reum futurum esse me crederem, si ea quæ valde perniciofa esse intelligo, ad specialem patronum fidei non referre. Multi ergo seruorum Christi, qui in Malsiliensi vrbe consistunt, in sanctitatis tuæ scriptis, quæ aduersus Pelagianos hæreticos condidisti, contrarium putant patrum opinioni & ecclesiastico sensui, quicquid in eis de vocatione electorū secundum Dei propositum disputasti. Et cum aliquandiu tarditatem tuam culpæ maluerint, quàm nō intellecta reprehendere, quidamq; eorum lucidiorum super hoc atque apertiorum

## EPIST. PROSPERI

beatitudinis tuæ expositionē voluerint postula-  
 re, euenit ex dispositione misericordiæ Dei, vt cū  
 quosdam intra Africā similia mouissent, librū de  
 correptione & gratia, plenū diuinæ auctoritatis,  
 emitteres. Quo in notitiā nostrā insperata oportu-  
 nitate delato, putauimus omnes querelas resi-  
 stentiū sopiēdas: quia vniuersis quæstionibus, de  
 quibus cōsulenda erat sanctitas tua, tam plene il-  
 lic absoluteq; responsū est, quasi hoc speciali-  
 ter studueris, vt quæ apud nos erant turbata, com-  
 poneres. Recensito autē hoc beatitudinis tuæ li-  
 bro, sicut qui sanctā atq; apostolicā doctrinæ tuæ  
 auctoritatē antea sequebantur, intelligentiores  
 multo instructioresq; sunt facti: ita qui persuasio-  
 nis suæ impediēbantur obscuro, auersiores q̄ fue-  
 rant, recesserunt. Quorum tam abrupta dissensio  
 primū propter ipsos metuenda est, ne tam clavis,  
 tamq; egregijs in omnium virtutum studio viris,  
 spiritus Pelagianæ impietatis illudat: ne simpli-  
 ciores quicq; apud quos horū magna est de probi-  
 tatis cōtemplatione reuerentia, hoc tutissimum  
 sibi æstiment, quod audiunt eos quorum aucto-  
 ritatem sine iudicio sequūtur, asserere. Hæc enim  
 ipsorum diffinitio ac professio est: omnem qui-  
 dem hominē, Adam peccante, peccasse: & nemi-  
 nem per opera sua, sed per Dei gratiam regenera-  
 tione saluari: vniuersis tamen hominibus propi-  
 tationē, quæ est in sacramēto sanguinis Christi,  
 sine exceptione esse propositam, vt quicunq; ad  
 fidem & ad baptismū accedere voluerint, salui es-  
 se possint. Qui autē credituri sunt, qui in ea fide,  
 quæ

## AD AVGVSTINVM.

quæ deinceps per gratiam Dei sit iuanda, man-  
 suri sunt, præscisse ante mundi cōstitutionē Deū,  
 & eos prædestinasse in regnū suū, quos gratis uo-  
 caros, dignos futuros electione, & de hac vita bo-  
 no sine excessarios esse præiudicet. Ideoq; omnem  
 hominē ad credendū & ad operandū diuinis in-  
 stitutionibus admoneri, vt de apprehendenda vi-  
 ta æterna nemo desperet, cum voluntariæ deu-  
 tioni remuneratio sit parata. Hoc autē propositū  
 vocationis Dei, quo vel ante mundi initiū, vel in  
 ipsa cōditione generis humani, eligendorū & rei-  
 ciendorū dicitur facta discretio, vt secundū quod  
 placuit creatori, alij vasa honoris, alij vasa cōtume-  
 liæ sint creati, & lapsis curā resurgendi adimere,  
 & sanctis occasionem teporis afferre: eo quod in  
 vtraq; parte superfluus labor sit, si neq; reiectus vl-  
 la industria possit intrare, neq; electus vlla negli-  
 gentia possit excidere. Quoquo enim modo se-  
 egerint, nō posse aliud erga eos q̄ Deus definiuit  
 accidere, & sub incerta spe, cursam nō posse esse  
 constantē: cum si aliud habeat prædestinantis ele-  
 ctio cassa sit annitenti intentio. Remoueri itaq;  
 omnem industriam, tolliq; virtutes, si Dei consti-  
 tutio humanas præueniat voluntates: & sub hoc  
 prædestinationis nomine, fatalem quandā indu-  
 ci necessitatem: aut diuersarū naturarū dici domi-  
 nū conditorē, si nemo aliud possit esse, quàm fa-  
 ctus sit. Atq; vt breuius ac plenius quod opinatur  
 exponā, quicquid in libro hoc ex contradicentiū  
 sensu sanctitas tua sibi opposuit, quicquid etiam  
 in libris cōtra Iulianū ab ipso sub hac quæstione

## EPISTOLA PROSPERI

obiectum potentissime debellasti, hoc totum ab  
istis sanctis intentiosissime cōclamatur. Et cum  
contra eos scripta beatitudinis tuæ, validissimis  
& innumeris testimonijs diuinarū scripturarū in-  
structa proferimus, ac secundū formā disputatio-  
num tuarū aliquid etiam ipsi quo concludantur  
astruimus, obstinationem suam vetustate defen-  
dunt, & ea, quæ de epistola apostoli Pauli Roma-  
nis scribentis, ad manifestationem diuinæ gratiæ  
præuenientis electorū merita proferuntur, à nul-  
lo vnquā Ecclesiasticorū ita esse intellecta vt nūc  
sentiuntur, affirmant. Cumq; vt ipsi ea exponāt,  
secundum quorū velint sensa deprecemur, nihil  
se profitentur inuenisse quod placeat, & de his ta-  
xeri exigunt, quorū altitudinem nullus attigerit.  
Eo postremo peruicacia tota descendit, vt fidem  
nostrā ædificationi audientium, contrariā esse defi-  
niāt, ac sic etiam si vera sit, nō promendam: quia  
& perniciose nō recipienda tradantur, & nullo pe-  
riculo quæ intelligi nequeāt, conticeantur. Qui-  
dam verò horū intantū à Pelagianis semitis non  
declināt, vt cum ad confitendam eam Christi gra-  
tiam, quæ omnia præueniat merita humana, co-  
gantur, ne si meritis redditur, frustra gratiā nomi-  
netur: ad conditionē hanc velint vniuscuiusq; ho-  
minis pertinere, in qua eum nihil prius merentē,  
quia nec existentē liberi arbitrij, & rationalē, ra-  
tio creatoris instituat, vt per discretionē boni &  
mali, & ad cognitionē Dei, & ad obedientiā man-  
datorū eius possit suā dirigere voluntatē: atq; ad  
hanc gratiā, qua in Christo renascimur, peruenire  
per

## AD AVGVSTINVM.

per naturalem scilicet facultatē, petendo, quæren-  
do, pulsando, vt ideo accipiat, ideo inueniat, ideo  
introeat, quia bono naturæ benè vsus, ad istā sal-  
uantē gratiā, initialis gratiæ ope meruerit perue-  
nire. Propositiū autē vocantis gratiæ in hoc omni-  
no definiunt, quòd Deus constituerit nullū in re-  
gnum suum, nisi per Sacramentum regeneratio-  
nis assumere, & ad hoc salutis donū oēs homines  
vniuersaliter, siue per naturalē, siue per scriptā le-  
gē, siue per euangelicā prædicationē vocari: vt &  
qui voluerint fiant filij Dei, & inexcusabiles sint,  
qui fideles esse noluerint: quia iustitia Dei in eo  
sit, vt qui nō crediderint, pereāt: bonitas in eo ap-  
pareat, si neminē repellat à vita, sed indifferenter  
vniuersos velit saluos fieri, & in agnitionem veri-  
tatis venire. Iam hic proferūt testimonia, quibus  
diuinarum scripturarum cohortatio ad obedien-  
dum incitat hominum voluntates, qui ex libero  
arbitrio aut faciant quæ iubentur, aut negligant:  
& consequens putant, vt quia præuaricator ideo  
dicitur nō obedisse, quia noluit: fidelis quoq; nō  
dubitetur ob hoc deuotus fuisse, quia voluit: &  
quantum quisq; ad malum, tantum habeat facul-  
tatis ad bonum: pariq; momento animum se vel  
ad vitia, vel ad virtutes mouere: quem bona appe-  
tentem gratia Dei foueat, mala sectātem damna-  
tio iusta suscipiat. Cumq; inter hæc innumerabi-  
lium illis multitudo obijcitur paruulorū, qui vti-  
que, excepto originali peccato, sub quo omnes  
homines similiter in primi hominis damnatiōe  
nascuntur, nullas adhuc habētes voluntates, nul-

## EPISTOLA PROSPERI

las proprias actiones, non sine iudicio Dei feceruntur, ut ante discretionem boni ac mali de usu vitæ istius auferendi, alij per regenerationē inter celestis regni assumantur hæredes: alij sine baptismo inter mortis perpetuæ transeant debitores: tales aiunt perdi, talesq; saluari, quales futuros illos in annis maioribus, si ad actiuam seruarietur ætatem, scientia diuina præuiderit. Nec considerant se gratiam Dei, quam comitem, non præuiam humanorum volunt esse meritorū, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea secundum suam phantasiā nō negant esse præuentas. Sed in tantum quibuscunq; commentitijs meritis electionem Dei subiiciunt, ut quia præterita non extant, futura quæ non sint futura confingant, nouoq; apud illos absurditatis genere, & nō agenda præscita sint, & præscita non acta sint. Hanc sane de humanis meritis præscientiam Dei, secundum quam gratia vocantis operatur, multo sibi rationabilius videntur astruere, cum ad earum nationum contemplationem venitur, quæ vel in præteritis seculis dimissæ sunt ingredi vias suas, vel nunc quoq; adhuc in veteris ignorantie impietate depereunt, nec vlla eis aut legis aut Evangelij illuminatio coruscavit: cum tamen in quantum prædicatoribus ostium apertum est, & via facta est, gentium populus qui sedebat in tenebris & in umbra mortis, lucem viderit magnam: & qui quondam non populus, nunc autem populus Dei fit, & quorum aliquando non miserus est, nunc autem misereatur: præuisos inquit à

domi-

## AD AVGVSTINVM.

domino credituros, & ad vnamquamq; gentem  
ita dispensata tempora ac ministeria magistro-  
rum, vt exortura erat bonarum credulitas vo-  
luntatum. Nec vacillare illud, quod Deus omnes  
homines velit saluos fieri, & in agnitionem veri-  
tatis venire, quandoquidem inexcusabiles sint,  
qui & ad vnius veri Dei cultum potuerint in-  
strui intelligentia naturali, & Euangelium ideo  
non audierint, quia nec fuerint recepturi. Pro v-  
niuerso autem humano genere mortuum esse  
dominum nostrum Iesum Christum, & nemi-  
nem prorsus à redemptione sanguinis eius ex-  
ceptum, etiam si omnem hanc vitam alienissi-  
ma ab eo mente pertranseat: quia ad omnes ho-  
mines pertineat diuinæ misericordiæ sacramen-  
tum, quo ideo plurimi non renouentur, quia  
quod nec renouari velle habeant, prænoscantur.  
Itaq; quantum ad Deum pertinet, omnibus præ-  
paratam vitam æternam, quantum autem ad arbi-  
trij libertatem, ab his eam apprehendi qui spon-  
te Deo crediderint, & auxilium gratiæ merito cre-  
dulitatis acceperint. In istam verò talis gratiæ  
prædicationem hi, quorum contradictione of-  
fendimur, cum prius meliora sentirent, ideo se  
vel maxime contulerunt: Quia si profiteren-  
tur ab ea omnia bona merita præueniri, & ab  
ipsa vt possint esse donari, necessitate conce-  
derent, Deum secundum propositū & consilium  
volūtatī suæ, occulto iudicio & opere manifesto  
aliud vas condere in honorem, aliud in contu-  
meliam, quia nemo nisi per gratiam iustificetur,  
&



## EPIST. PROSPERI

& nemo nisi in preuaricatione nascatur. Sed refu-  
 giunt istud fateri, diuinorumq; ascribere operi san-  
 ctorum merita formidant, nec acquiescunt præ-  
 destinatum electorum numerum, nec augeri posse,  
 nec minui: ne locum apud infideles ac negligentes  
 cohortantium incitamenta non habeant: ac su-  
 perflua sit industriæ ac laboris indictio, cuius stu-  
 dium cessante electione frustrandum sit. Ita de-  
 mum enim posse unumquemq; ad correctionem,  
 aut ad profectum vocari, si se sciat sua diligentia  
 bonum esse posse, & libertatem suam ob hoc Dei  
 auxilio iuuandam, si quod Deus mandata, elegerit.  
 Ac sic cum in his qui tempus acceperunt libera vo-  
 luntatis, duo sint quæ humanam operentur salu-  
 tem, Dei scilicet gratia, & hominis obediencia. Pri-  
 orem volunt obedienciam esse, quam gratiam, ut  
 initium salutis ex eo qui saluatur, non ex eo credendum  
 sit stare qui saluat: & voluntas hominis diu-  
 nae gratiæ sibi pariat opem, non gratia sibi huma-  
 nam subiiciat voluntatem. Quod cum peruersis-  
 simum esse reuelante Dei misericordia, & instruen-  
 te nos tua beatitudine nouerimus, possumus qui-  
 dem ad non credendum esse constantes, sed ad au-  
 toritatem talia sentientium non sumus pares: quia  
 multum nos & vitæ meritis antecellunt, & aliqui  
 eorum adepti nuper summi sacerdotij honore su-  
 pererminent: nec facile quisquam præter paucos  
 perfectæ gratiæ intrepidus amator, tantis supe-  
 riorum disputationibus ausus est contraire. Ex quo  
 non solum his qui eos audiunt, verum etiam ipsis  
 qui audiuntur cum dignitatibus creuit periculū:  
 dum

## AD AVGVSTINVM

dum & multos reuerentia eorum, aut inutili co-  
hibet silentio, aut incurioso ducit assensu: & salu-  
berrimum ipsis videtur, quod penè nullius con-  
tradictione reprehenditur. Vnde si in istis Pela-  
giana prauitatis reliquijs non mediocri virulen-  
tiæ fibra nutritur, si principium salutis malè in ho-  
mine collocatur: si diuinæ voluntati impiè volū-  
tas humana præfertur, vt ideo quis adiuuet, quia  
voluit: non ideo, quia adiuuatur, velit: si origina-  
liter malus receptionem boni non à summo bo-  
no, sed à semetipso inchoare malè creditur: si nō  
aliunde Deo placetur, nisi ex eo quod ipse dona-  
uerit: tribue nobis in hac causa Papa beatissime,  
pater optime, quantum donāte domino potes,  
diligentiam pietati tuæ obsecro, vt quæ in istis  
quæstionibus obscuriora, & ad percipiendū diffi-  
cilia sunt, quàm lucidissimis expositionibus di-  
gneris aperire. Ac primum, quia pleriq; non pu-  
tant Christianam fidem hac dissensione violari,  
quantum periculi sit in eorum persuasione pate-  
facias. Deinde, quomodo per istam præoperantē  
& cooperantem gratiam liberum non impedia-  
tur arbitrium. Tum, vtrum præscientia Dei ita se-  
cundum propositum maneat, vt ea ipsa quæ sunt  
proposita, sint accipienda præscita: an per gene-  
ra causarum, & species personarum ista variētur:  
vt quia diuersæ sunt vocationes, in his qui nihil  
operaturi saluātur, quasi solum Dei propositum  
videatur existere: in his autem qui aliquid boni  
acturi sunt, per præscientiam possit stare proposi-  
tum; an verò vniformiter, licet diuidi præscientia  
ē pro-

## EPISTOLA PROSPERI

à proposito temporali distinctione non possit,  
 præscientia tamen quodam ordine sit subnixa  
 proposito: & sicut nihil sit quorumcunq; nego-  
 ciorum, quod non scientia diuina præuenerit, ita  
 nihil sit boni, quod in nostram participationem  
 non Deo auctore defluxerit. Postremo, quem-  
 admodum per hanc prædicationem propositi  
 Dei, quo fideles sunt qui præordinati sunt ad vi-  
 tam æternam, nemo eorum qui cohortandi sunt  
 impediatur, nec occasionem negligentiæ habeat,  
 si se prædestinatos esse desperent. Illud etiam qua-  
 liter diluatur, quæsumus patienter insipientiam  
 nostram ferendo demones, quod retractatis  
 priorum de hac re opinionibus, penè omnium  
 par inuenitur & vna sententia, qua propositum  
 & prædestinatione Dei secundum præscientiam  
 receperunt, vt ob hoc Deus alios vasa honoris,  
 alios contumeliæ fecerit, quia finem vniuscuiusq;  
 præuiderit, & sub ipso gratiæ adiutorio in quafu-  
 turus esset voluntate & actione præscierit. Qui-  
 bus omnibus enodatis, & multis insuper quæ al-  
 tiore intuitu ad causam hanc pertinentia magis  
 potes videre discussis, credimus & speramus non  
 solum tenuitatem nostram disputationum tua-  
 rum præsidio roborandam, sed etiam ipsos quos  
 meritis atque honoribus claros caligo istius opi-  
 nionis obscurat, defecatisimum lumen gratiæ  
 recepturos. Nam vnum eorum præcipuæ aucto-  
 ritatis & spiritalium studiorum virum, sanctum  
 Hilarium Arelatensem Episcopum sciat beatitu-  
 do tua admiratorem sectatoremq; in alijs omni-  
 bus

## AD AVGVSTINVM:

bus tuæ esse doctrinæ, & de hoc quod in quere-  
lam trahit, iam pridem apud sanctitatem tuam  
sensum suum per literas velle conferre. Sed quia  
vtrum hoc facturum, aut quo fine sit facturum, in-  
certum est, & omnium nostrum fatigatio prou-  
dente hoc præsentis seculo Dei gratia, in tuæ cha-  
ritatis & scientiæ vigore spirat, adde eruditionem  
humilibus, adde increpationem superbis. Neces-  
sarium & vtile est etiam quæ scripta sunt scribere,  
ne leuè existimetur quod non frequenter argui-  
tur. Sanum enim putant esse quod non dolet, nec  
vulnus supraducta cute sentiunt, sed intelligant  
peruenturum ad sectionem, quod habuerit per-  
seuerantem tumorem. Gratia Dei & pax domi-  
ni nostri Iesu Christi coronet te in omni tempo-  
re, & ambulanti de virtute in virtutem glorifi-  
cet in æternum domine Papa beatissime,  
ineffabiliter mirabilis, incompara-  
biliter honorande, præstan-  
tissime patrone.

EPISTOLAE PROSPERI AD AV-  
gustinum de reliquijs Pelagianæ  
hæreseos, finis,

HILA: